Et reliquum fuit ex duobus tonis id est CLXXX. Nam cum sint duo toni inter neten hyperboleon et triten id est inter II CCCIIII et II DCCCCXVI cum de ipsis II DCCCCXVI auferuntur II DCCXXXVI quod est paranete hyperboleon in chromate facientes tria semitonia ad netenhyperboleon, reliquuntur CLXXX qui eisdem II DCCXXXVI additi reddunt triten hyperboleon chromatis id est II DCCCCXVI quae eadem est in diatonico duorum tonorum spatium. In chromate per semitonio accipitur ad paraneten hyperboleon

factum est qui est dimidius tonus sed non integre, quia ut superius uberrime monstratum est, non potest tonus in duo aequa partiri. Consignabimus igitur hoc spatium trium semitoniorum id est toni ac semitonii hoc modo T T T. Rursus paranete hyperboleon chromatica ad triten hyperboleon retinet partem toni id est semitonium quod reliquum fuit ex duobus tonis qui continentur inter triten hyperboleon diatonica et neten hyperboleon. Subtractis vero quattuor semitoniis reliquum ex toto tetracordo spatium semitonii est quod continet inter neten diezeugmenon et triten hyperboleon. Constat igitur et hoc tetracordum ex duobus tonis ac semitonio. Divisum in uno quidem spatio tribus semitoniis, in duobus autem spatiis duobus semitoniis. Tria vero spatia nervis quattuor continentur. In enarmonio vero genere summa est id pro noscendi facilitas. Ab eo ipsum quod est nete hyperboleon id est II CCCIIII paranete hyperboleon enarmonios id est II DCCCCXVI duos tonos integros distat, quos hoc modo notabimus T T. Relinquitur igitur ex totius tetracordi duobus tonis ac semitonio unum quidem semitonium quod continetur inter neten diezeugmenon et paraneten hyperboleon enarmonion, quod scilicet divisum in duas dieses trite hyperboleon enarmonia media intercepta spatiumque dieseos hoc modo signavimus. Quia igitur nobis hyperboleon tetracordon scriptum est quo pacto ad diezeugmenon tetracordum veniamus. Nec inmorandum est isdem commentationibus in ceteris, cum ab hac discriptione et cetera in aliis sumi possit exemplum.

MONOCHORDI NETARUM DIEZEUGMENON PER TRIA GENERA PARTITIO.

Netes igitur diezeugmenon quae est III LXXII si dimidium summa erit I DXXXVI qui eisdem additi fiunt IIII DCVIII quae est mese quam O littera designamus. Quod si eius de netes diezeugmenon id est OO scilicet III LXXII auferam tertiam partem erit I XXIIII qui eisdem coniuncti faciunt IIII XCVI quae vocabitur paramese X littera subter notata. Nete igitur diezeugmenon id est III LXXII ad mesen IIII DCVIII quoniam in sesqualtera comparatione consistit diapente contin& simphoniam. Eadem vero nete diezeugmenon III LXXII ad paramesen id est IIII XCVI quae ad eam in sesquitertia proportione composita est diatessaron tenet consonantiam. Si igitur ab ea quae est nete diezeugmenon IIII LXXII auferam octavam partem id est CCCLXXXIIII eisque adiunxero fient III CCCCLVI. Eritque haec paranete diezeugmenon diatonos CC litteris notata ad neten diezeugmenon obtinens tonum. Ab hac vero si octavam auferam partem id est de III CCCCLVI quae est CCCCXXXII eosque eidem adiungam erunt III DCCCLXXXVIII. Eritque ea trite diezeugmenon diatonos. Sed quoniam nete diezeugmenon ad paramesen sesquitertiam obtinebat proportionem, trite autem diezeugmenon diatonos ante diezeugmenon duos